DE VITA ET SCRIPTIS

VINCENTII MONTII

COMMENTARIVS

IOANNIS ANFOSSII

SACERDOTIS

COMMENTARIVS

DE VITA ET SCRIPTIS

VINCENTII MONTII

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXIX. 7.

IOANNES ANFOSSIVS

THOMAE PENDOLAE (1)

EXIMIO SVRDORVM INSTITVTORI

SALVTEM

Quum anno superiore Italiam peragrarem, eo potissimum consilio, ut scholas inviserem, in quibus homines excoluntur lingua et auribus capti, nullibi sane maiore sum voluptate affectus quam Saenis apud te. Namque iam inde ex quo opera tua elegantissima, tum ad rem literariam, tum ad ipsos loqui nescios recte instituendos pertinentia perlegerem, meis oculis te videre, te alloqui, atque abs te ipse eadem de re nostra accipere, animo vehementissime exoptabam. Verum expectationem meam res mire superavit. Et nunc, carissime, memoria repeto eximias honoris et voluntatis tuae significationes, quibus ita me devinxisti, ut ex eo tempore te semper in oculis ferrem. Ac propterea ut aliquod tandem exstet publicum testimonium amoris in te mei, constitui perbrevem hunc commentariolum de scriptis et vita Vincentii Montii tibi

inscribere, quem abhinc aliquot annos concinnavi, dum in ipso iuventutis flore Thomae Vallaurii scholam adirem; illius videlicet Vallaurii, qui vel apud exteras gentes lumen atque ornamentum Italiae nostrae rectissime adpellitatur.

Si quis autem forte miretur me, quem, ut nosti, Surdorum institutio totum ad se convertit et rapit, tempus insumere ac paene perdere in hisce rebus literariis edendis, tute ipse mihi eris acerrimus vindex. Quis enim te studiosior, ut qui novercam, prope dixerim, haud matrem nacti sunt naturam, recte edoceantur et instituantur? Atque e contrario quis te in italicis literis cultior, quis in philosophia tum *rationali* tum *positiva*, quam vocant, celebrior? Utinam ego, vel maximo quidem intervallo, ad te proximus aliquando accedam!

Tu vero, qui tuus est mos, benevolentia atque amore hanc, quaecumque sit, opellam accipe, atque habeto ut parvulum omnino admirationis meae signum, quam erga te semper in meo pectore foveam. Deus te in aevum felicem atque incolumem amicis atque literis faciat. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum ipso Paschatis die an. MDCCCLXIX.

Si spatium praeteriti seculi respiciamus, iam illud in promptu est, ingenuas literas apud Italos a nativa elegantia et nitore maxime recessisse. Nimirum externis bellis, quibus tunc maiores nostri afflictarentur, et internis dissidiis, quae praecipue labente seculo pubblicam rem misere labefactarent, factum est, ut externae locutiones italam urbanitatem omnino vitiaverint. Quae quidem peregrinitas magis magisque in linguam invasit, quum, gallico imperio in italos fines prolato, illorum idioma ab omnibus paene in Italia usurpatum fuit. Quapropter apud nos litterae penitus pessumdatae: quae tunc excogitandi licentia! quae scriptionum portenta! Vix iam ut elegantiores legerentur.

Multo maius tamen in poësim ex eo damnum manavit, quod putidius artificium in scribendo quaesitum fuerit. Tunc enim vero, eorum praesertim opera, quibus nomen ab Arcadia est factum, poësis ad umbratiles exercitationes traducta, minimas inventiunculas quaesivit, quibus solam iucunditatem quaererent, nequicquam sententiarum altitudinem, quae tantum in animum influunt et movent. Per

id enim tempus libidine adsentandi monstrosa quaedam vocabula invecta. Ipsimet poëtae alius alii blandiri, ut invicem modo in Parrhasio nemore, vel in Parnasseo monte, modo ad Hippocrenem fontem cum Apolline novemque Musis se collocarent. Si quis beatiorum nova prole fuisset auctus, en Arcadius aderat, qui epigrammate, aliove levi carmine, quo fato infans esset natus, praedicaret. In nuptiis Hymenaeum adprecabatur qui praeesset, et vincula, ita dixerim, quibus coniugum animi devincirentur, pararet. Quum puella se Deo devoveret, Cupidinem ira infensum humi tela deiicientem canere consueverant. Hinc sacra miscere profanis; hinc saepenumero fiebat, ut Divinarum Scripturarum sententias mythis turpiter foedarent. Quod maxime recitationibus acceptum est referendum, quibus huiusmodi poëtae plausus gratiamque ambitiose captarent.

Ita seculo superiori litterae sese apud Italos habebant; et profecto ad interitum fuissent redactae, nisi auspices Parinius, Alferius, Caesarius et Vincentius Montius extitissent. Huius postremi, quo vires ingenii periclitarer, vitam conscribere sum ausus. Uberem profecto scribendi materiam mihi maximi eius aetatis poëtae vita exhibet. Multa enim fortia et magnifica de illo laudantur; nonnulla simul reprehenduntur; plerique vero vim varietatemque fortunae in iis omnibus, quae gessit, mirantur. Montius scilicet inter poëtas excellens; omnium celeberrimus Homeri interpres, orator eloquentissimus, criticus peritus, prosae orationis scriptor elegans, unus ipse omnibus suffecisset, qui in litteris italicae gentis nomen renovaret.

Vincentius Montius Alphonsinae natus est, qui pagus Ravennatum est, undecimo calendas martias, anno superioris seculi quarto et quinquagesimo. Parentes eius humili loco nati agrorum cultum exercebant, quorum uterque tamen maxime conterraneis innotuit peculiari erga egenos liberalitate; ipsisque nihil antiquius, quam miserorum calamitates, pro domesticis copiis sublevare. Quae quidem virtutes facile in Vincentii animum postea irrepserunt; hoc enim satis constat, ad parentum exemplum sobolem effingi. In eorum sinu educatus pueritiam transegit: qui acerrimum et docile ingenium nactus, quemadmodum ipse in quadam elegia de se pronunciat (2), postquam ex domestica patris disciplina, cuiusdamque Fusignani magistri haud poenitendos fructus perceperat, Faventiam est deductus. Ibi litteras italas atque latinas in ephebeo alumnis sacrorum instituendis, doctus fuit. Has autem tam facile arripiebat, ut insignis inter aequales haberetur. Tunc etiamsi puerili adhuc aetate, virgilianam Aeneidem integram memoriae mandavit; unde talem versuum numerum magnificentiamque hausit, ut elegantia ex tempore carmina funderet. Quod unum ne ad tantam gloriam noster adsurgeret prohibuisset, nisi prudentia optimi cuiusdam sacerdotis incensum ac flagrantem animum coërcuisset.

Verum vix dum illas disciplinas, quibus puerorum mentes ad humanitatem finguntur, addidicerat, quum pater domum revocavit; eique natu minori, agrorum cultum, ex illius regionis more, commendavit. At nequit noster animum ad altiora spectantem adeo humiliter deprimere: eodem igitur tempore, quo rei agrariae va-

caret, totus in eo erat ut latinos poëtas cogitatione reputaret. Unde fiebat, ut saepissime extra se, ita dicam, paene videretur. Qui quum minus esset probatus patri, quod secessu et solitudine delectabatur, remque familiarem negligebat, ab eo acriter fuit reprehensus. Qua de re Vincentii animus vehementer motus ad eius pedes devolutus: iamdudum, pater, sumito poenas, inquit; nunc nunc tibi polliceor, me numquam carmen lecturum. Re enim vera ex templo poëtarum volumina, quae prae manibus haberet, flammis dedit. Quo facto omnino Sulmonensem poëtam (3) Montium retulisse videmus. Nihilominus paullo post, quum forte nonnullos aureos nummos fuisset assecutus, Lucum, propinquum oppidum, ad nundinas contendit, ibique poëtas suos redemit. Pater, re comperta, praeter filii naturam ratus se gessisse, postremo illi Musarum colendarum copiam fecit.

Haud diu noster est commoratus; verum statim Ferrariam petiit, quam in urbem non multo post et parentes eius commigrarunt. Haud secus atque Ovidius, Petrarca et Tassus, cogente patre, iurisprudentiae operam dedit; sed et illos secutus, Iustiniani codicum pertaesus, ad mansuetiores Musas rediit, et poësim praesertim excoluit. Memoriae proditum est, eum dein animum ad litteras excolendas adeo adiunxisse, ut, cum in versus latinos se mente et voluntate coniecisset, hac via sibi laudem comparaturus videretur. Ad illud enim tempus quasdam elegias latine exaravit, quas maximis laudibus extulit Hieronymus Ferrius, egregius superioris seculi litterarum latinarum cultor. Quod iure quidem ab eo factum est, cuique enim haec carmina lyrica legenti puro quodam

candore, et nativa, non adscita venustate nitentia iucunda profecto contingere debent.

Sed eius ingenii aestus alium campum requirebat, in quo magis posset enitere. Ad illum spectabat Italorum poësim renovare atque inter principes poëtarum considere istius populi, qui hac in re caeteras terrarum orbis gentes excedit. Opportune igitur in manus eius devenerunt quaedam Alphonsi Varani carmina, quibus nomen est inditum *Visioni*. Hisce apprime Ferrariensis poëta demonstravit, quod Voltairius inficiabatur, altissimis christianae religionis mysteriis poëtici ingenii aestum ali posse. Huiusmodi carmina, nonnullaque etiam itala Minzonii epigrammata, tanta sententiarum sublimitate conscripta Nostrum ad divinum Aligherium perduxerunt, quem deinceps tamquam magistrum est prosecutus.

Hinc enim vero evenit, ut duodevicesimum annum natus carmen in cuiusdam sacri oratoris laudem ipse excogitaverit, in quo graphice prae oculis Ezechielis prophetae visionem ponit (4). Unde iam patet, quanto christiana sapientia ad poësim excolendam magis conferat, quam illa philosophorum placita, qui potius quam mortalium animos ad coelum erigant, humi defigere consueverunt. Quamquam iam antea sui omen dederat Noster, quum Iacobi vaticinium, quo duodecim filiorum fata portenderet, maxima metri varietate lyrico versu est interpretatus (5). Quibus èditis carminibus aperte demonstravit, se prae caeteris antiquitatis poëtis Davidis robur et magnificentiam imitari velle. Qua de re nemo certe mihi repugnabit dicenti, multo sublimiores narrationes, descriptionesque eorum praesertim quae res supernas spectant,

apud hosce divinos homines quam in Homero inveniri. Quod ipsemet Montius firmissimis argomentis epistola quadam asseruit (6).

Quum vero aetate esset annorum quatuor et viginti, Borghesius presbiter cardinalis, qui ea tempestate apud Ferrarienses legatione fungebatur, vir summa nobilitate et gratia Montium fovere coepit. Haud multo post munere suo functus Romam illum conduxit. Brevi Noster in urbe terrarum capite, summisque viris, omni eruditione ornatis, maxime affluenti, ingenio famam est consecutus. Nimirum per illos dies civitas romana Spinellio viro excellentissimo, qui Romae praefectus erat, alacriter plaudebat, quum, salva republica, rursus ordinem in urbem invexisset. Quibus in adiunctis Noster drama quoddam (7), Metastasium secutus exaravit, quo non solum illustri gratia Spinellius poëtam excepit, verum etiam praemiis ornavit. Praeterquamquod maximo plausu a cavea exceptus, omnibus in ore esse Romae coepit.

Dum in urbe viveret, complures doctos et principes viros amicitia devinctos tenuit, inter quos recensetur praesertim Ennius Quirinius Viscontius, qui omnium aetatis suae peritissimus antiquitatis haberetur, cuius ingenii et praeclarae eruditionis complura exstant monumenta. Ex quodam sermone (8), quem Noster huic viro inscripsit, manifestum habemus, de omnibus fere disciplinis Viscontium scripsisse. Iure igitur doctorum hominum sui temporis eruditissimus habetur, elegantissimus orientalium litterarum, et omnis antiquitatis et rerum graecarum, romanarumque.

Illa tempestate Cassii villae ad Tibur ruderibus Periclis

Herma egesta, Centumcellis autem Aspasiae marmor e cavis erutum fuit. Neque id mirum. Quum enim, Graecia devicta, amoeniorum artium monumenta Romam fuissent translata, beatiores homines coepere signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, iisque non urbanas tantum aedes, sed et villas suas sumptuosius exornare. At tempora barbariae advenerunt, quum teterrimi tyranni sunt dominati; intereadum militaris licentia, bella intestina politiorum artium foetus pessumdarent. Irrumpentibus tandem barbaris, extremam veluti perniciem attulerunt. Hinc magna nobis oritur admiratio post tot hostiles discursus et urbium vastationes monumenta et loca intuentibus, quae excultior antiquitas celebravit.

Itaque statim ac illa marmora in apricum fuerunt prolata, Viscontius ex Pontificis Maximi praescripto omne studium adhibuit, ut cognosceret quorumnam ex veteribus imaginem exprimerent. Quod semel atque constitit, Montium excitavit ut lyra felicem inventionem caneret. Annuit poëta, neque multo post tempore in lucem edidit carmen, cui Prosopopoeiam Periclis titulum dedit. Hoc porro tanta eruditione et magnificentia conscripsit, ut facile legenti palam fiat, quam arctum foedus humanarum facultatum sit, quae natura diversae, at simul conspirantes, aliae ab aliis vim et lumen accipiunt. Quod si Phidiam laudamus, qui Periclem Aspasiamque vivos e marmore prodeuntes scalpro effinxit, quanto magis laudandus Poëta qui, postquam barbararum gentium discursus et Italiae vastitatem descripsit, summis laudibus Maximorum Pontificum munificentiam voluit efferre. Namque per eos ad omnem excellentiam aditus omni tempore

patuit. Ipsi enim vero illustri ingenio viros muneribus et beneficiis cumulando ad Musas impensius colendas excitare consueverunt. Quapropter iure meritoque de Romana urbe dici potest, quod olim de Athenis Iustinus: Litterae et facundia veluti templum Romam habent (9).

His igitur nonnullisque aliis sui ingenii et doctrinarum monumentis Montii fama iam per totam Italiam percrebuerat, quum pater aetate provectus domum filium arcessivit. Quumque in eo esset, ut Roma abiret, casus inopinato eum detinuit. Nimirum in quinquennali certamine, in quo Arcades scriptiones suas ad Pontificis Maximi laudem recitare consueverant, honorificentissime exceptus, quum ipse in nuptias Braschii ducis, qui Pontificem patruum haberet, et Constantiae Falconieriae carmen de *universi pulcritudine* dixisset, is scribam ab epistolis grati animi sensu Montium elegit. Quod munus libenter Noster est aggressus eo scilicet animo, quo sibi faciliorem viam litteris excolendis muniret.

Verum haud ab re erit nonnulla de illo, quod nuper memoravi, carmine fari (10). Uno cantu id continetur versibus elegiacis exarato. Exorditur autem docens, quae et qualia sint rerum primordia, quo motu ferantur et quonam modo caetera procreent. At quum Dei mirabilia intuenti se offert praecipuum Creatoris opus, homo, subito, ita dicam, aestu abreptus in sublime effertur. Postquam corporis figuram habilem aptamque humano ingenio singillatim cecinit, fusius animae naturam explicat. Quid enim illa praestantius? Hac a Deo homini ingenerata est nobis aliqua cum Deo similitudo, cognatio, societas. Praeter hanc omnia delet tempus, namque ipsa ad im-

mortalitatem effingitur. Recte igitur poëta carmen suum claudit eleganti sententia perpetuae venustatis, qua Virtus gaudet. Per omnem vero cantum mirus ordo elucet; picturae vividiores opportune positae, dictio laeta, florida et poëtico ornatu semper laudanda, qua res vel humiliores splendorem concipere videntur. Movent scilicet animum crebri et viriles illi spiritus per totum carmen diffusi; movet grandioris cuiusdam naturae descriptio; movet denique dictionis dignitas, quae a sensuum magnitudine proficiscitur.

Haec consulto de Montiana *universi pulcritudine* disserere volui, inde enim quisque facile arguere poterit, quantum iam Noster a corrupta eius aetatis scribendi ratione discesserit. Neque enim in hisce versibus poëta solum pulcritudine utitur sermonis, qua delectet, sed passim ad philosophiam assurgit. Quare haud falso quispiam statuat, magnum aliquid inter poësim et philosophiam intercedere, vel potius unam paene eamdemque rem esse, nisi quod illa coloribus illuminat, quae altera ex penitissima ratione depromit.

Itaque Montius viri munificentissimi usus liberalitate Romae consedit, seque in litteras abdidit, a quibus et doloris medicinam, amisso patre, et otii oblectationem honestissimam peteret. Quo in tempore complures sui ingenii foetus edidit; praecipui vero recensentur elegiae amoris, in quibus amantium ingenium, atque amores suos effinxit; et tristis quidam animi motus, cui titulum *Entusiasmo melanconico*; nec non canticum quoddam de Amore peregrino Constantiae Braschiae matronae excellentissimae inscriptum. Per illos etiam dies magnam

laudem quoque est assecutus ex ode, qua mirabile Montisgolfierii inventum celebrat Pindarica magnificentia.

At cum postmodum Pius, Pontifex Maximus, huiusce nominis sextus Vindobonam ad Danubium petere constituisset, sarta tecta Ecclesiae iura apud imperatorem Iosephum servandi causa, Montius, ut suam in romanum Pontificem pietatem declararet, breve poëma exaravit, cui titulus Peregrinus Apostolicus, quo Itinerarium Pontificis est prosecutus. In duos cantus carmen suum distinxit, in quorum priore illum Roma proficiscentem in Austriam descripsit, in altero vero eius reditum in urbem. Mirum in modum ibi affectus commendantur et passim quaedam descriptiones occurrunt, quae summam poëtae inveniendi facultatem testantur. Iuvat prae caeteris meminisse illius, qua Fidem prae oculis posuit Pontificem amplectentem, dum eum hortatur ut discedat (11).

Hactenus autem Noster nondum argumentum fuerat nactus, quo totam sui ingenii vim periclitaretur. Hoc tandem ei contigit anno millesimo septingentesimo tertio et nonagesimo, quum Ugus quidam Bassvillius Romae furentis populi impetu interficeretur. At maioris perspicuitatis gratia paullo superius res est repetenda. Anno enim undenonagesimo superioris seculi ineunte, iam motus et seditiones in Gallia miserrima omnia ominabantur, quibus florentissimum in terris regnum labefactatum atque eversum postmodum fuit. Neque in Gallia se continuit novandi libido, sed longe lateque initae fuerunt societates arctissimae in Italia praesertim, quae a legitimis regibus subditorum defectionem molirentur. Haec, ita dixerim, labes Romam usque pervasit; hinc

turbas tunicati popelli ad seditiones incitare: hinc superbiam nobilitati, honores, imperia, sacerdotia exprobrare; hinc civilem principatum romani Pontificis oblatrare. At cives tantum facinus indignati, nemine admonente, nulloque communi consilio in nefarios homines incurrunt. Igitur primo concursu Abbavilliensis ille quum et corporis altitudine et audacia praestaret, cecidit.

Hanc Noster actionem poëmate complexus est, quod cantibus quatuor continetur (12). Initio statim lectores in mediam rem rapit: videlicet Angelus e coelo elapsus Bassvillianum spiritum excipit, vix dum corpus inhians deseruit; extensis dein alis illum per aërem effert; eodemque modo quo Aligherius Virgilium ducem est nactus, Bassvillius citra Alpes ducitur, visurus miserrima omnia, quibus abhinc paucos annos Italia et Gallia crudelissime dilacerarentur. Nempe civilis belli flamma nobilissimae urbes hic absumptae; illic infinita hominum capita indigne perierunt, pars fluminibus demersi aut igne hausti, ad quae vel lecta animus horrescit.

Quamquam meum non est Montianam Bassvillianam singillatim perpendere, tamen silentio praeterire non possum, quae postremo in cantu Noster est complexus. Illi scilicet, quum sibi propositum haberet tempora illa describere, quibus contumacia libertas, seditio necessitas, iustum imperium superbia et crudelitas appellarentur, optime cesserat finem sui poëmatis facere illud crimen describendo, quo nescio, an aliud crudelius post hominum memoriam fuerit patratum. Quorsum haec spectent iam omnibus constat. Nefandum profecto, quod

rex omnium mitissimus tam foedo supplicio interficeretur! Haec humanitas sub tot philosophorum dominatu; hic postremo illius libertatis foetus, quae tamen amplissimis tum laudibus exciperetur! Quae hactenus invitus obiter memoravi nefaria Gallorum facinora, hos deformes pullatae plebis, nec non philosophorum in magistratus, in sacerdotes ac demum in ipsum regem triumphos postrema sui poëmatis parte graphice Poëta expressit. Quum videlicet acerrimo ingenio valeret, ac vehementissimo odio ferretur in tyrannos, qui ea tempestate Gallicum regnum labefactarent, vividis adeo coloribus saevas illorum artes depinxit, atque simul magnifice supernam Romani Pontificis potentiam, qua nihil in terris validius, nihil magis duraturum, extulit. Hinc illa animi agitatio, quae in poëmate integro dominatur; hinc altitudo sententiarum, quae delectant et movent; hinc crebrae reprehensiones, quibus suam bilem quodammodo effundit, quaeque tragicum, paene dixerim, colorem illius versibus inducunt; hinc demum genus illud dicendi nervosum, pressum, magnificum, quo lectores commoveri solent.

Quamquam hoc breve Montii poëma explendum erat animam Bassvillii ad coelum deducendo. Sed propter tot rerum conversiones, quae in Gallia non aliter quam in Italia tunc temporis evenerant, Noster ab incepto desistere coactus est. Non tamen minoris aestimatur; immo, doctorum hominum iudicio, omnium expolitissimum et perfectissimum opus habetur, quae a Ferrariensis poëtae ingenio sint profecta. Huic procul dubio accepta est referenda, quae huius seculi initio contigit apud

Italos poësis renovatio; Montius enim Aligherii vestigiis insistens, aperte demonstravit, poësim non in vanitate verborum, sed in robore et sententiarum altitudine positam esse.

Sed de Bassvilliana fortasse prolixius. Qui verae gloriae magnitudinem semel senserit, ad praeclara incitamentum post virtutem maximum, sui ingenii vires incultu haudquaquam torpescere sinet, sed nominis immortalitatem summa ope sibi quaerendam arbitrabitur. Huc totius vitae decursu Montius respexit; unde fiebat, ut semel atque sui ingenio aptum quidpiam exstitisset, nullis laboribus parceret, quin prius, quid vellet, id esset assecutus.

Anno igitur superioris seculi tertio et octogesimo Romam venit Victorius ille Alferius, qui Italicae Melpomenes vindex, veterum tragicorum gloriam est consecutus. Tunc enim vero fuit, quum Montius, postquam illum Virginiam suam recitantem audierat, animum tragoediis quoque conscribendis appulit. Prima ex penu eius tragoedia lucem vidit, cui nomen Aristodemo fuit. Huius argumentum ex Pausania depromsit: quamquam vero iam pluries idem scenis fuit agitatum, nodum tamen atque *οἰκονομίαν*, quam vocant, sic immutavit, ut suus omnino videatur. Montiani Aristodemi actio, si summa tantum capita spectentur, sic se habet.

Pestilitas Messeniam populabatur; quare Delphos, quomodo Deorum ira cohiberi posset, consultum missum est. Deliberantibus Pythia respondit, eos voti compotes fore, si Aepiti generis puellam Plutoni sacrificarent. Sorte cuiusdam Licisci filia est ducta, quam pater in

tuto collocavit. Verum Messenii, grassante in diem pestilitate, alteram magistratus hostiam rogabant. Quibus succlamantibus Aristodemus Dircem filiam immolandam sacerdotibus ultro tradidit. At quem ad finem ! Deerat tunc rex; ideoque magnam ipse spem animo ceperat tanto facinore regnum obtinendi ; spemque res est secuta. Solium autem barbaria veluti excitatum neque pace unquam neque prosperitate floruit; quinimmo saepenumero fieri solet, ut qua via ad regnum perventum est, ea ad interitum redigatur. Et haec quidem Aristodemum fortuna manebat. Re enim vera princeps perpetuo confectus moerore ex filiarum memoria, quarum alteram sua ipse manu necaverat, alteram, quamvis secum viventem, veluti amissam lugebat, infelicissimam vitam transegit. Postremum in furorem actus, sibi ipse mortem conscivit, quum tandem at serius Argiam agnoverat. Hic est tragoediae exitus, quo nihil in regum exemplum terribilius, nihil·magis miseratione dignum.

Ne quis putet nullam inde fortasse spectatoribus utilitatem profluere, ex eo, quod argumentum hauserit ex remotissima antiquitate. Placet enim immotum illud erga patriam studium, placent tot fortia dicta et acute responsa: praeterquamquod passim occurrunt perutiles ad mores et civilem temperationem sententiae, quae in illis praesertim rerum adiunctis iucundae Italorum auribus contingere debebant. Quod opus, ubi fama et auditione cognitum est, incredibile dictu, quantam ubique pareret poëtae existimationem; ita ut facile inter principes tragoediarum scriptores fuerit recensitus.

Sub idem ferme tempus Theresiam, Ioannis Pikleri

filiam, duxit uxorem, puellam doctrina praeditam excellentique forma. Huius pater maxime omnium Romae inter artium liberalium cultores praeterito saeculo innotuit. Idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac praesidium fuit. Itaque Noster qua sibi via tantam laudem hactenus pepererat, est prosecutus. Quare paullo post aliam edidit tragoediam, quam appellavit *Galeotto Manfredi*. In qua conscribenda summam ingenii vim exprompsit poëta; stylo usus est eleganti, florido, magnifico et sententiarum altitudine, ultra quam par est, spectando. Quo factum est, ut minus libenter per Italiam exciperetur. Iuvat tamen notare, poëtam in aulico illo homine, quem vocat Ubaldum, suum animum depinxisse: in eadem etiam sub cuiusdam Zambrini nomine, suum quemdam inimicum dirls devovet, qui apud principes romanae nobilitatis maledico dente eum carpere consueverat. Quorum ingenia et mores adeo graphice expressit, ut facile spectatores, qui essent, coniectura prospicerent.

Postremae, quam Montius exaravit tragoediam, nomen fuit factum a Caio Gracccho, quem Tullius oratorem dicere non dubitavit grandem verbis, sapientem sententiis, genere toto gravem. Noster, qui optime latine calleret, et totus per vitam fuisset non minus poëtis, quam romanae eloquentiae oratoribus perlegendis, eorum, quos in scenam producit, Manibus, ita dixerim, e sepulcris evocatis, eisdem et sensus et sermonem attribuit, quibus viventes uterentur; adeo ut post mortem adhuc et spirare et vivere videantur. Divinam sane rem! Quando ita perruptis aetatum spatiis, cum ipsis Romanis vivimus, eorum sensus haurimus, iisdemque affectibus movemur.

Spirat enim in fabula Gracchorum effigies oratione et versibus expressa; eadem, quae ipsi, infortunia in scena spectamus. Cum illis dolemus, exhilaramur. Hic cuique suus est color proprius. Cornelia animum refert magnum et virilem, qualem habuisse accepimus Scipionis filiam et Gracchorum matrem. Caius reapse ille est romanus eloquentissimus, magna vi animi praeditus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, atque gloriae avidus, uti fuisse in Paterculo legitur. Opimius mores servat patricii ambitiosi, cuiuscumque servitutis impatientis. Quae omnia ingenia quamdam ferocitatem redolentia apte suavi Liciniae indole molliuntur. Eius nempe coniugalis amor, matris dulcedo, comta et concinna oratio animos spectantium tanta rerum varietate, totque crudelitatis documentis exagitatos in pacem interdum trahit; ex quo fit, ut numquam spectatores fatigentur. Hoc tamen tenendum, Montium totam quidem illam populi romani maiestatem mirum in modum ibi expressisse, at nimis fortasse magnificum illum orationis ornatum esse secutum, qui declamatori convenientior sit quam tragico.

Si vero in universum de Montianis tragoediis iudicare velimus, hoc fere convenit inter viros elegantiores, qui de illius operibus scripserunt, plus eum ingenio atque inveniendi facultate, quam arte valuisse. In describendis hominum studiis, plane singularis, ut opinor, dicendus est Montius. Virium tamen Alferio plus tribuere consueverunt. Ad illius dictionem quod attinet, adeo pura, elegans et suavis visa est, ut Maffeius scribere non dubitaverit, hunc, quam illum potius adeundum, quo tragicus stylus addiscatur. Alferii enim dictio aspera et

laboriosa, praeterquamquod omissa verborum proprietate passim reprehenditur, animos fatigare consuevit. Montius vero hac in re uti ipsemet in quadam epistola docet, solertissime Shakespearium principem inter Anglos vatum cothurnatorum est imitatus. Sed haec hactenus; ad Montii vitam persequendam regrediamur.

Quum Romae viveret, ex Theresia uxore filiam suscepit. Virtutis in puellula insigne emicabat. Ingenium a natura argutum in annos optimis perpolivit doctrinis. Memoriae historias mandare, mitiora litterarum humaniorum studia degustare. Ad haec morum elegantia, pudor ori ingenuo et liberali suffusus, conversandi suavitas eam omnibus caram reddebat. Quas nec invitus illius virtutes describere volui; cuique enim hinc facile iudicare erit, quanam voluptate in extrema aetate Montius frueretur, quum eius praesenti auxilio uteretur.

At enim ab inita pacis domesticae et honorum vita eum procellae civiles revocarunt. Iam abhinc duobus ferme annis Nostrum Wilzechius Insubriae praefectus politioribus litteris in Athenaeo Ticini tradendis arcessierat. Hoc autem munus recusavit, adeo feliciter se habent Romae litterarum cultores. Sed postmodum, quod honores perficere nequiverunt, id casus fortuitus est assecutus. Post foedus ictum Tolentini undecimo calendas martias anno superioris seculi septimo et nonagesimo Romam venerat Marmontius dux, qui ex Napoleone litteras ad Pontificem redderet. Montius, nescio quo in casu, hunc cognovit, quem deinceps consuetudine et observantia devinctum tenuit. Erat eo tempore in Nostro summa gracilitas et infirmitas corporis; quumque amici

et medici eum hortarentur, ut studiis vacare desisteret, excellentissimum, quem nuper memoravi, virum itineris comitem nactus, ad firmandam valetudinem in Hetruriam profectus est. Fuit haec discessio acerba amicis, Montio gravis, qui se fortunae incertae committeret.

Quum venisset Florentiam, honorifice domi apud Kevellonerium principem fuit exceptus. Ibique excellentium virorum, ac praesertim Meltii ducis, et Nicolai Azarae, ingeniosi et intelligentis veterum signorum et aliarum huiusmodi rerum existimatoris, consuetudine usus est, quorum domus pulcherrimis artium monumentis referta, maximeque hospitalis, eruditis sermonibus florebat Flanginii patris cardinalis Argonauticorum Apollonii interpretis, Lampredii Pisani, viri artium plurimarum, et aliorum, qui Montium magnopere observabant.

In his molliter erat, quum mox incredibilis mutatio in Italia facta est. Namque Gallorum armis populares respublicae in Insubribus et apud Subalpinos, nec non in media Italia sunt constitutae. Inter quas Cispadana fines habebat ab occidente Liguriam, ab ortu solis Adriaticum mare, e septentrionalibus autem Pado flumine terminabatur, ad meridiem Hetruriam, Umbriamque spectabat: cuius Bononia capiti posita fuerat. Quare Ferraria urbs, Montii patria, huius quoque pars fuit. Quapropter Noster, adnitente potissimum Marescalchio comite, viro amplissimo, quo facilius sortes patriae sequeretur, Bononiam petiit.

Brevi admodum tempore, quo id regiminis genus viguit, poëma conscribendum est adgressus (13), in quo Prometheum audax Iapeti genus cecinit, quod, ut Horatianis

verbis utar, *ignem fraude mala gentibus intulit.* Hoc, quod tribus cantibus continetur, poëma innumeris mythis redundat, quibus interdum satyrica veluti oratione utitur, qua aetatis suae vitia insectatur.

At enim vix primum huius poëmatis cantum in lucem ediderat, quum novae rerum conversiones factae sunt. Quippe plurimas, quae tunc in Italia respublicae vigerent, duae tantum exceperunt; Subalpina, quae regione subalpina continebatur, et Cisalpina, cuius caput Mediolanum urbs fuit, unde tribus annis post Italica coaluit, quae deinceps regni nomen accepit. Huc arcessitus, externis rationibus procurandis scriba dictus est. In ipsius adventu omnes paene ephemerides vigentis regiminis rebus faventes acerrime Montium sunt insectatae, praesertim quod poëmate in mortem Bassvillii animum nuperrimos motus adversantem ostenderat: quod initium venturae mox calamitatis fuit. Namque eius adversariorum instigatione, Supremum reipublicae Consilium in illos inquirere coepit, qui prioris regiminis rebus studuissent, quos publicis muneribus exigendos decrevit. Ex his Noster fuit. Neque id mirum. Iannius (14) enim eius aemulus, prae caeteris, qui soli omnia in republica possent, acriter in eum est invectus. Minime, ipse dicebat, e republica arcendi, qui epigrammata aliqua scripserint, sed ille, cuius versus Aligherii robur praeseferunt, quique populare hoc nostrum imperium quam plurimis detestabile fecit.

Igitur Montius omni publico munere destitutus, quippe qui fortunae bonis careret, paupertate conflictari coeptus est. Romam tunc petere statuerat, ubi popularis quoque

respublica ex Gallorum influxu orta erat. Eo se conferre decreverat Montius, fecissetque nisi amicorum, Paradisii praesertim et Containii (15), quorum auctoritas multum valeret, precibus coactus in patriam rediisset. Quo facto maiorem fortasse calamitatem declinavit Noster. Intereadum hi sedulo agebant, ut munus aliquod illi demandaretur, quo vitam honeste saltem sustentaret. Id vero facile impetratum est: eorumdem enim, qui reipublicae imperitarent, consilio, quos certe pudebat talem virum inhonoratam sic agere vitam, Rubiconis provinciae, comite Oliva iurisconsulto, fuit praefectus. Sed paucis mensibus postquam id munus obiverat, a republica vacationem petiit. Illa enim tempestate summus Montio rerum usus necesse erat, quo prorsus ipse carebat. Praeterea indignatus, quia nonnullos deprehenderat, ut rem facerent, publicum aerarium peculatos, illo magistratu se abdicavit.

Itaque domum Mediolanum se recepit, privatusque vitam traducens, dies solidos litteris excolendis exigebat. Tunc enim vero fuit, quum canticum quemdam, cui est titulus *Musogonia*, evulgavit (16). Quoniam vero passim in hoc carmine nonnulla occurrunt, quibus rationem illam regiminis, quam monarchiam vocant, effert, acrius quam dici possit, in posterum exagitari coeptus est. Namque ea ferme omnium illis temporibus erat opinio, ut caeteris civitatum formis posthabitis, populare imperium, unice probaretur. In tantam invidiam ex magna gloria inciderat Montius, qui anceps fluctuansque diu inter oppositas sententias, postremo deficiente animo, civilibus fluctibus se abripi passus est. Quo in tempore nonnullas exaravit

scriptiunculas in quibus Pio VI, quem in Bassvilliana appellare non dubitavit, eius verbis utar — Severo e santo Pastore — il vero Nume del Tebro — titulos adiungit, quos oblivione obruere satius existimo; Ludovicum vero XVI, qui rex omnium mitissimus, meliori fato dignus illic habetur, in carmine, quod *periculum* (17) vocavit, tyrannum teterrimum appellavit.

Montii mutabile hoc ingenium nemini profecto probatur. Neque valet quod in eius excusationem nonnulli afferre consueverunt, videlicet pretiosiores in fortunae arbitrio obsides habuisse, uxorem et filiam. Si enim in patriam secessisset gratiosius fortasse nomen esset assecutus: quoniam fortis animi magnique est ea, quae videntur acerba, ita ferre, ut nihil discedat a dignitate sapientis. Huius insuper opinionum vices non sequi, sed iisdem, ut plurimum, repugnare. Hinc minime illis succensendum, qui Protei nomine, sub cuius symbolo instabiles naturae formas veteres depinxerunt, Montium carpere consueverant (18). Scilicet poëta non mores informare, sed moribus informari, quo populari aura ferretur, est perpessus. Quo nihil magis exprobrandum in totius eius vitae decursu. Ipsemet extrema aetate, si qui versus, quos in reipublicae honorem exaravit, laudibus ornaret, capite obstipo, obortisque lacrymis Lisandri numeros in Aristodemo repetebat:

> . . . . . I nostri allori
> Di tanto sangue cittadin bagnati
> Son di peso alla fronte e di vergogna.

His igitur editis operibus, quum Mediolani omnium rursus favorem captasset, qui in republica essent, sibi

aditum ad honores aperuit. Et primo quidem politioris humanitatis doctor in Braydensi gymnasio electus est, in quo usque ad illud tempus hasce partes strenue Parinius sustinuerat. At frustra; abhinc enim paucos menses consociata arma Austriae et Russiae infestis signis Mediolanum ingressa sunt, resque Gallorum ad extremum casum spectabat. Magna tunc hominum colluvies ex omni Italia apud finitimos confluxerat, qui extorres et in ancipitia coniecti unam spem in novis rebus haberent. Hoc quoque desperatissimo perfugio Montius uti debuit, qui, superatis Alpium iugis, innumeris difficultatibus circumventus et fortunis omnibus expoliatus, ideoque paupertate misere conflictatus, vitam agebat procul a publicis negotiis, litterarum studiis unice intentam. Dedit profecto grande patientiae documentum! Ibi enim poëta, cuius fama iam universam Europam a Sarmatiae finibus ad Oceanum usque pervaserat, ut quotidianum sibi victum pararet, coactus fuit agros circumire Camberiacos, pomaque manu ex arboribus destringere. Oh coenum! Oh portentum! Neque id satis. Etenim gravi morbo correptus, in re adeo angusta, distractus a suis, iam paene ad interitum desciscere videbatur. Postremo uxor, rebus domi compositis, cum filia advenit. Certe laetissimum illi hunc diem fuisse arbitror, quo circumstantes se rursus aspexit, quas unice in terris adamaret. At miserrima haec Montii conditio tandem Marescalchio, regni administro, quem supra memoravi, innotuit. Qui Nostrum Lutetiam Parisiorum deduci voluit, ibique totos dies suo lateri eum adhaerere cupiebat. Igitur qui ab excitata fortuna ad inclinatam et prope iacentem redactus fuerat, comiter ab ea iterum excipitur.

Per illos dies Napoleo Bonapars copiarum dux ex Aegypto post triennium, quo totam regionem illam sub Gallorum dominatum redegerat, in Europam redux, Italiam uno proelio hostibus denuo eripuit. Namque praeter opinionem omnium ex Cotiis Alpibus in Italiam progredi coepit. Foederatorum exercitus ad Alexandriam Statiellorum castra metati sunt. Vix dum Galli adfuere, vi summa proelium commiserunt. Foederati freti numero copiarum suarum, confligere cupiebant; eoque magis, quod, priusquam Dessaicius dux belli peritissimus subsidio veniret, dimicare utile arbitrabantur. Quare concurrunt acies, iamque hi victores futuri videbantur, quum inopinato Dessaicius cum decem millibus militum supervenit, qui tanto impetu hostes est adgressus, ut praeter spem ex Gallis victoria extiterit, eoque ipse dux ceciderit proelio. Qua victoria Napoleo elatus, plurima miscere coepit et maiora concupiscere. Italia aerumnis cooperta, atque in servile pistrinum detrusa, per quindecim et amplius annos fuit sub Gallorum dominatu.

In hisce rerum adiunctis Marescalchius Montio munus demandavit hymnum exarandi, in quo victoriam de ipsa Italia relatam laudaret. Huic operi in praemium proposuerant argenteos mille et quingentos: praeterquamquod politioris humanitatis doctor in lycaeo imperatorio foret renunciatus. At enim Iannio potissimum adnitente, Noster in calumniam Chaptalio, qui illa tempestate internas imperii res procuraret, est delapsus. Quare omnibus propositis praemiis defraudatus, centum argenteos, vile pretium, ex Marescalchii precibus tantum accepit, qui in re adeo angusta non parum illi levaminis adiumentique tulerunt.

Etsi tot tantisque curis distractus nunquam a studiis animum abduxit, quae tutum et gratum adversis rebus perfugium ac solatium praebent. Nimirum per illud tempus Montius postremam, de qua pro re nata tragoedia disseruimus, composuit. Insuper aliud est opus aggressus, quod sui nominis famam magnopere auxit. Ad exitum vergebat superius seculum, quum rebus in Italia ad eius libitum compositis, citissime quam potuit, per Alpes in patriam reversus est. Tum denuo fortuna prospera uti coepit. Quum Mediolanum venisset, omne prorsus tempus poëmati, quod nuper memoravi, ad unguem castigando dedit. Huic Montii scriptioni titulus est *Mascheroniana.*

Fuit autem Laurentius Mascheronius vir in mathesi et rerum naturalium scientia plane singularis, qui de poësis facilitate et altitudine cum aequalium excellentissimis contendere quoque est ausus. Sed curator lectus populari Cisalpinae reipublicae censendae, quum foederatorum exercitus anno praeteriti seculi novissimo Mediolanum prope adessent, se in Galliam, quemadmodum de aliis plurimis supra narravi, recepit. Ibique labente seculo octavo et decimo, florenti adhuc aetate decessit. Itaque Montius ut extaret apud posteros aliquod doloris propter amici desiderium monumentum, hoc poëma exaravit, in quo illius casus composuit. Ingentem inde nominis famam sibi comparavit. At quum ex elegantiorum sententia, inter pretiosiores Montianas scriptiones haec porro habeatur, equidem credo me optime facturum si pauca de illius natura atque oeconomia, quemadmodum iam de Bassvilliana, disseram.

Poëmatis, quod cantibus quinque continetur orsus capit Poëta ex illo temporis momento, quo Mascheronianus spiritus virtutibus exceptus, quibus per vitam exornatus fuisset, ad sempiternos globos intuendos extollitur, quos tamquam animarum sedes ei commonstrant, eadem prorsus ratione, qua Africano Paulus in somnio Scipionis. Ad solem ut venit, complexus eum Borda (19) insignis mathematicus sui temporis collacrimavit. Deinde coelestem illam habitationem usquequaque visendo Parinium est nactus, qui eum de Italia percuntatus est. Huius responsione alterum cantum exorditur, in quo Napoleonis Bonapartis breviter victorias de Italis primum, mox de Aegypto, et deinceps de omnibus fere, qui in Europa dominantur, relatas persequitur. In tertio cantu acerrime invehitur in illos, qui Gallis tum temporis imperitarent; maxime vero Robespierrium criminatur, cuius opera Europa sanguine redundavit. Duobus postremis, qui in lucem post eius mortem editi fuerunt, miserrima ob oculos ponitur Italiae illis temporibus conditio.

Hoc Montii opus perlegens, non solum notissimos uniuscuiusque scientiae viros passim invenies, eorum praesertim, qui superiore seculo floruerunt, sed eventuum varietatem tamquam in tabula spectabis, quibus patres nostri interfuerunt. Nimius haud dubie forem, si omnia, quae ad historiam pertinent, quaeque poëtice ibi narrantur, hic expromere vellem. Hoc tamen ad eius laudem animadvertendum puto, si pauca excipiamus, quae de populari regimine passim laudavit, rursus Montium in hoc carmine ad illas opiniones accessisse, quas in Bassvilliana complexus est. Ad illius dictionem quod attinet, si fidem Cuoco (20) ha-

bemus, acriori dente, qui tum imperitarent, carpsit Noster. Iure tamen viri cordatiores poëma hoc plurimi fecerunt; affectus enim graphice commendavit; neque minus illud styli robur, versuumque numerum est consecutus, quibus maxime Bassvillianam laudavimus.

Interea rursus est constituta Cisalpina respublica, quae tamen in posterum Italica appellata fuit. Quo in tempore, quum omne disciplinarum genus rerum procuratores vellent instaurare, quae, saeviente bello, iam defloruerant, doctissimos undique viros in Galliam Cisalpinam, et in urbem praesertim totius Insubriae principem invitaverunt. Montius doctor humanioribus litteris tradendis Ticini in Athenaeo electus est. Multam quoque operam rei litterariae augendae tum impenderunt Aloysius Lambertius Regiensis, vir eximia eruditione praeditus; Ioannes Paradisius comes, insignis aetatis suae mathematicus; Gregorius Fontana illius sacerdotum ordinis sodalis, cui a Scholis Piis nomen est factum, qui philosophiae et mathesi summopere enituit; nec non Petrus Moscatius Mediolanensis, qui physicas et medicas disciplinas praetermodum auxit. Ceterum quis Galvanium, Voltam, Orianium non audivit aut legit, quibus neque haec felicitas defuit, ut Gallos nostris persaepe iniquos, suorum laborum socios et laudatores haberent! His aliquanto senior fuit Iosephus Parinius, urbanissimae, quem vocat Boucheronus, satyrae inventor; cuius auditor fuerat Ugus Fosculus, Graecarum litterarum in primis elegans; cui supponendum statim existimo Hippolytum Pindemontium, virum leniore musa natura comparatum. Quorum omnium in primo Mascheronianae cantu memoria occurrit.

Si quis autem a me petat, cur nam infinitus hic excellentium vivorum proventus tum extiterit, responsum in promptu est. Scilicet Napoleo, quem non latebat sapientiam quam maxime ad augendum imperium conferre, doctissimos undique viros, maximis propositis praemiis ornamentisque in Gallia Lutetiam Parisiorum, in Italia vero Mediolanum arcessiit. Praeterquamquod memoriae habemus natura hunc virum sane memorabilem politiorum litterarum cultorem, quoad eius fieri posset, fuisse, atque elegantis ingenii viros, praesertim vero mathematicos, honesto hospitio, haud aliter quam belli duces peritissimos excipere consuevisse. Quod utique omnibus foret regibus, principibus aut cuiuscumque auctoritatis hominibus probatum! Quae enim inde profluit in populos morum urbanitas! Argumento sint tempora, quibus in Subalpinis imperitarent Amadeus VI, qui prudentiae civilis et iustitiae fama apud omnes maxime floruit; Emmanuel Philibertus, qui merito Subalpinae gentis vindex et stator est appellatus. Quis nescit omni prorsus felicitate tunc maiores nostros fuisse usos? Quamquam vero animo mihi iam non inest probare, extitisse illis temporibus in utraque Gallia pulcherrimam regiminis formam, quam Plato eiusque aequalis Xenophon laudarunt. Longe mihi alia mens est. Tamen omnes facile mihi assensuros confido, si dixero peiora Insubribus praecipue fuisse perpetienda, nisi tot tantique reipublicae censendae scientiarum cultores fuissent advocati.

Sed ego sane multus, qui in pervulgata re tam prolixam orationem expromserim. Quin potius ad praeclaram devenio operam quam Noster litterarum studiosis erudiendis

Ticini impendit? Hoc profecto officium ita est perfunctus, ut docentis alacritate mirifice studiosi ad laborem excitarentur; eosque, paene dixerim, sic fingeret, ut acerrimum de litteris iudicium iisdem instillaret, nedum pulcri sensum et elegantiorum scriptorum studium ab ipso haurirent. Quo fiebat ut saepissime magno plausu exciperetur. Hoc in tempore duas edidit orationes, in quarum altera coarguit, summam iis laudem deberi, qui primi ad scientias semitam commonstraverint; alteram vero recitavit, ut italam iuventutem ad eloquentiae studium excitaret. In quibus eloquentiae vis perbelle cum poëtarum spiritu contendit (21).

Triennio Noster magna cum laude elegantiores litteras Ticini tradidit. At quum maiori studio Italorum decora memorare consuesceret, Gallis posthabitis, Mediolanum est arcessitus. Nihilominus cum hac doctrinae laude iis esset probatus, apud quos imperii summa erat, aditus sibi ad honores patuit. Primus autem reipublicae capessendae gradus fuit, quum causis litterarum et artium dirimendis ab rerum internarum administro adsessor electus fuit. Quo in munere obeundo ita se gessit, ut et doctrinae vastitate et in expediendis negotiis alacritate dignus habitus sit, qui ad ampliores eveheretur dignitates. Tum vehementissima honoris cupido animum eius incesserat, quam summopere illi aluit Napoleo, qui anno seculi quinto, ferrea regum Langobardorum corona Mediolani sumpta, Italiae rex renunciatus est. Namque tum Noster aulicus poëta adlectus, temporibus foede inserviens, carmen ex Varaniano ingenio exaravit, cui titulus *Visione*. Introducitur Aligherius, acerrimus, quem

nostis, monarchiae propugnator, qui de mutata illis temporibus Italiae conditione sermonem instituit. Ecquidem puto eosdem, quos in Ghibellini ore versus ponit poëta libentissime in suos illum fore accepturum: tanto enim sunt robore praediti.

Mox approbantibus Borussiae et Hispaniarum regibus novum in Italia regnum, quod Napoleo constituerat; Germani tamen, Angli et Moschi simul signis collatis ei bellum intulerunt. Tunc enim vero illa fatalis opinio in Europa est exorta, quae vim iuri, victoriam aequitati opponeret; quae sane opinio continuis expeditionibus et annorum successibus occasionem praebuit. In hisce rerum adiunctis illi, qui Alexandri Macedonis famam exoptaret, alter Homerus opus erat.

Itaque Montius, illorum veterum poëtarum instar, qui in Gallia illustrium virorum laudes celebrare consueverant, poëma perscribere coepit, quo heroëm suum ad Danubium usque atque ad Austerlitium campum victorem versu prosequeretur (22). Quum vero omnia prorsus ad historiam spectarent, ideoque inepte omnino ad rem caderet illud scribendi genus, quod epopoeiam vocant; quumque mythos aut incantamenta non amplius in rem derivare liceret poëtis, necesse erat ut Montius huiusmodi poësim usurparet, quae admirabilitatem servando, nullum historiae veritati nocumentum importaret. Igitur Bardorum poësis, quae simul coniungit ac temperat alteram altera duplicem epicae et liricae naturam, sui ingenio apta visa est, qua inquietem illum Martem caneret. Id poëma, cui a *Bardo Nigrae sylvae* nomen est factum, septem cantibus continetur, in quorum quoque peculiare exhibet propo-

situm de Napoleonianis gestis. Et in quinto, cui titulus *Aegypti expeditio*, plane singularem se Montius praebet, sive orationis lenocinium spectes, sive narrationes poëtico quodam lepore distinctas, sive demum eximium artificium, quo in diversis proeliis inter se connectendis usus est. Unde facile, neque ab re, quaedam cum Tasso Montii comparatio potest institui.

Ceterum si summam rerum tantum spectemus, quas Noster in hoc poëmate est complexus; summis laudibus Napoleo Bonapars praecipue effertur, quippe qui, repressa factionum licentia, cuncta subegisset, nec ulla iam arx aut robur animorum esset, quod victores eius exercitus posset retardare. Itaque eleganter more suo, sed pressius atque adstrictius continentes, ita dixerim, hostium clades est persecutus, quibus universam fere Europam Mars ille subegit. Oriens enim eius armis concussus est, et Europeus miles Thebarum solitudines ac Nili fontes adivit. Ex elegantissimorum virorum sententia patet huiusmodi carmen tanta metri varietate conscriptum illum eundem colorem passim prae se ferre, quem Bassvillianae illevit. Dolendum sane quod, alteram partem non amplius poëta in lucem protraxerit: iam non ex eo, quod illorum temporum historia eodem iuvetur, cordatiores enim humilem et turpissimam ibi adsentationem repudiant; verum quod mirum in modum ad elegantiam styli frequentes eius descriptiones atque narrationes conferunt.

Quot insuper apte eius poëtico ingenio exaranda praeclare gesta supererant! Quamquam non ultimum hoc fuit castrense, ita dicam, Montii carmen. Etenim non ita multo post novam Bonapars victoriam ad Ienam in

Thuringia retulit de principibus germanicis, ex qua Borussiae regnum, quod septem annorum spatio coaluerat, totidem diebus ad perniciem omnino redactum est. Quibus in adiunctis poëta aulicus breve canticum composuit, ducibus et militibus infiniti Napoleonis exercitus dicatum, in quo Magni Friderici spiritu e sepulcris evocato, colloquentem cum Gallorum duce introducit. Vehemens quidem verborum certamen, quod inter utrumque instituitur, qui studio incensus aemulandae Romanorum magnitudinis omnia pro arbitratu versaret. Postremo summi imperatoris potentia coactus gladium manu emittit, quo callidissimus aetatis suae Imperator Fridericus tot populos sub dominatum Borussiae regni subegisset. Hoc leve poëma incredibile memoratu est, quanta doctorum hominum consensione in Europa fuerit exceptum, adeo ut brevi mensium quinque spatio decies fuerit evulgatum. Neque defuerunt qui in latinos numeros illud converterint, necnon in Gallicos. Nihilominus quosdam simul adversarios Montius nactus est, maxime vero ephemeridum scriptores, quos ipse acriter ultra quam dici potest in epistola refellit, quae Bettinellio acerrimi iudicii viro mittitur.

Postmodum breve temporis spatium effluxit, quo res in Europa conticescere visae sunt. At Noster sui ingenii vires incultu torpescere haudquaquam sinit. Tunc scilicet *Palingenesin politicam* (23) edidit, breve quoddam poëmation solutis carminibus contextum ferme quingentis, in quo probandum suscepit poëtica omnino ratione philosophicum argumentum a Virgiliana Aeneide petitum, de universali spiritu, qui totam terrarum molem alit, agitat,

et miscet. In posterum nonnulla etiam pro re nata carmina exaravit, quae eius nominis famam servarunt, non vero admodum auxerunt, quum non amplius eam vim praeseferant quam in prioribus eius operibus laudavimus.

Quamquam principes illi viri, quorum praeclare gesta immortalitate rependit (hanc nempe vicem referunt litterae et artes) honoribus mactare Montium haud dubitarunt. Itaque inter sodales adlectus est illius doctorum hominum societatis scientiarum finibus proferendis Mediolani iampridem institutae; atque in complures ordines equestres, quos Napoleo excellentis ingenii viris captandis suo tempore ibidem constituerat. Quae omnia Montio fuerunt praeclarum ad maiora incitamentum.

Pulcrum erat Nostro in poësi suum ingenium exercere; pulcrius vero politiores litteras cum reconditis doctrinis coniungere. Argumento sint epistolae, quas per illud tempus, quo nimirum dulcis frueretur otii pace, de equo alato Arsinoës evulgavit (24). In his eorum sententiam firmis satis argumentis asserere conatur, qui probant hunc equum, a quo Berenices Coma rapta fuisse fertur, neque Pegasum, aut Zephyrum, verum struthiorem fuisse. Quamplurimis haec Montii opinio ab re omnino visa est; sed haec nihil ad nos. Illud est huiusce scriptionis notare, nostrum maxima antiquitatis eruditione, nec non iucundissima styli alacritate propositum suum confirmasse.

Sed multo magis, quaenam esset Montii in litteris latinis peritia innotuit, quum Persium Italicis modis aptandum suscepit. Difficilis admodum huius satyrici

interpretatio videbatur, tum propter concisam carminis naturam, quae obscuritatem quamdam illi inducit, tum propter diversum plane utriusque ingenium. Is enim quum magni valeret in horatiana illa urbanitate, quae vitium ridendo castigaret; et natura in splendidam Iuvenalis bilem ferretur, acriter sibi hoc in opere peragendo repugnandum erat. Nihilominus nemini prorsus dubium est, quin optime in hac quoque parte meritus sit. Quippe apprime omnino Noster venustatem venustate, lumina luminibus compensare scivit, audaciores autem verborum figuras nec prorsus extinxit, nec parum verecunde expressit. Fuit namque haec praeclara viri laus, omne paene poëticae eloquentiae genus sic excoluisse, ut linguam et stylum pro arbitratu adhiberet.

Quod magis magisque patuit, quum Ugo Fosculo suasore poëtico spiritu in primis insigni, Graecarum quoque litterarum elegantissimo, intermissam Homeri interpretationem absolvit. Vincentius Montius, ait Carolus Boucheronus, vir plane singularis, quum multa divinitus scripsisset, nihil praestantius se facturum arbitratus est, quam si poëtarum principe italicis numeris donato ad illius imitationem aequalium et posterorum studia excitaret. Ingens profecto beneficium, immortalitate dignum, quo Montius non minorem ab Italis gratiam iniit, quam ab omnibus, qui in toto orbe terrarum sunt, litterarum cultoribus! Quare tamdiu Noster laudabitur, dum memoria principis huius antiquorum poëtarum manebit.

Plurimos doctissimorum virorum legimus in Homeri interpretatione ingenium suum fuisse periclitatos. Salvinius, vir Graecis litteris et italicis eruditissimus, hoc

754

poëma sedulo et fortasse eleganter quoque in italum numerum convertit; at, ex Fosculi sententia, illa caruit excelsi animi vi ac magnitudine, qua poësis, quodam veluti colore illinitur. Neque magis in re litteraria Cerutius meritus est Homerum interpretando; quippe qui paullo liberius mollibus Rolii atque Metastasii dictionibus opus suum insperserit; eique poëticus ille spiritus defuerit, quo animos omni tempore moveri consueverunt. Ipsemet Cesarottius perperam hac de re operam suam impenderat, qui immutata ipsa poëmatis inscriptione, multa licenter novaverat (25).

Nulla igitur homerica interpretatio hac Montii erit potior, quae Ariosteam linguae varietatem et antiquum Homeri colorem in primis refert. Itàque nil mirum, si in praecipuis Montii operibus ipsius italica Ilias censeatur ab omnibus, qui aliquid de litteris iudicare valent. Quamquam nec hi defuerunt, qui graece optime callentes, in eius opere quidpiam deprehenderent adamussim haud perspectum, quorum ipse animadversionibus candide usus est, ut opus limaret. Neque silentio praetereundum arbitror, Montium scilicet hoc immortale opus suscepisse, quin satis, quam par esset, graecum sermonem nosceret. Hoc magis magisque in eius laudem redundat: tunc enim vero quisque doctissimorum illud Socraticum meminit: animum poëtico spiritu concitatum meliorem fore Homeri interpretem. Incredibile dictu, quantum propterea decus Italicis litteris obvenerit! Sed iam plura non addam, ne videlicet de re tanti momenti haud satis pro dignitate videar dixisse.

Itaque Montius refertus omnibus praemiis donisque

fortunae, doctrinae ac eloquentiae praeclarus octavum et quinquagesimum annum agebat. Nemo fere tunc erat in urbe, quae illi secunda veluti patria esset, quin aliquid praeclarum de Montio audivisset, et omnes, qui de ingeniis poterant iudicare, mirifica eius visendi noscendique cupiditate flagrabant. Nimirum per illud ferme tempus Nostrum convenit Iulius Perticarius Comes, ab eoque Constantiam filiam sibi uxorem poscebat, nulla alia de causa, nisi quod maxime exoptaret adfinitate se cum principe sui temporis poëtarum devincire. Maxima scilicet tunc Noster voluptate affectus fuit; eoque magis, quum perspectum et cognitum habuit sui generi animum. Sed priusquam ad illa, quae collatis viribus uterque gessit, devenio, optimum censeo presse omnino Perticarii casus componere.

Is igitur nobili loco natus Sabiniani est, qui pagus abest ab Arimino oppido circiter millia passuum decem. Hic ab adolescentia alumnus sacrorum, amplissimis titulis, ut tum ferebant tempora, est auctus, licet sacerdotio non initiatus. Sed mox studio reipublicae, ad quam suopte ingenio maxime ferebatur, relictis sacris, Romam petiit, primo seculi anno, ut sedulam in mathesi et utroque in iure operam poneret. Quamquam vero in principe terrarum urbe mansuetiores litteras praesertim excoluit, cuius studio vel a pueritia mire flagrabat. Quare latinos italosque tum solutae tum adstrictae orationis scriptores noctu interdiuque volvere; stylum ad eorum exempla edolare; graeca non fastidire. Ibi sexennium circiter moratus, amplissimo ingenii testimonio, laureaque iuris donatus in patriam rediit. Domi difficil-

limis illis temporibus plurima munera obivit, in quibus ita caste continenterque sese gessit, ut egregium consilii et humanitatis suae monumentum reliquerit. Tot licet negotiis circumventus numquam animum a litteris abduxit. Re enim vera Pio huiusce nominis sexto post diuturnam captivitatem Romam revertenti carmen inscripsit, cui titulus *Prigioniere apostolico*, quod passim Aligheri colorem refert. Postmodum narrationem quamdam emisit de Pandolfii Collenucio, qui etiamsi regni crimine insons fuerit, nihilominus Sfortiae tyranni, qui in Pisaurenses dominaretur, edicto capitis damnatus est. Hanc subsecutum est aliud commentariolum de Guidobaldo, quem certissima monumenta Urbinatum ducum progenitorem testantur. In quibus scriptiunculis dictionis nitore, et philosophicis passim inditis sententiis enituit. Romam dein profectus, cuiusdam diarii, cui nomen ab Arcadia fuit factum, scriptoribus praefuit. Tunc scilicet plurimi sui ingenii foetus in lucem prodiere, quos longum esset hic persequi singillatim. Haud ita multo post in patriam rediit, ubi a civibus honorificentissime exceptus diem obiit, quum esset annos natus tres et quadraginta. Haec breviter fuit Perticarii vita, cuius opera Noster usus est, de quo nunc adhuc ambigitur, utrum morum probitate, an ingenio praestaret.

Quum vero Montius de litteris complura in dies agitaret, quibus maior fortasse ad Italos splendor manasset, totius paene Europae facies immutata est. Napoleo scilicet anno huius seculi tertio et decimo exeunte post Lipsiense excidium Lutetia Parisiorum fugatus est. Insequenti anno, rebus pluries male gestis, universa Gallia consurrectionem

in ipsos milites fecit. Quamobrem Imperator fuga salutem petiit, quam consecutus non esset, nisi Bellaqueam, pervêtus regum castellum, confugisset. Ibidem haud ita multo post imperium per syngrapham deposuit; et sortem ingemiscens easdem fortasse aedes lacrymis rigabat, quibus nuper ipsius iussu inclusus Pius VII Pontifex Maximus, miserrima omnia deprecabatur, quibus res christiana conflictaretur. Itaque, restincto ubique bellorum incendio, regna sunt restituta. In Italia, Veneti et Insubres denuo in ditionem concesserunt Austriaci imperii. Subalpinum autem regnum et vetere provincia, iam per superiores pactiones distracta, et Genuae urbis accessione in integrum restitutum atque amplificatum fuit. Caeteri item principes italici, sedibus suis abacti, in patriam sunt reversi. In hisce rerum adiunctis Montius ab omni publico officio destitutus fuit. Tunc enim vero valde timere coepit, ne rursum adversae fortunae asperitatibus iactaretur. At Caesar nihil antiquius habuit, quam ut, depositis iam simultatibus, ad oblivionem veterum calamitatum omnem curam cogitationemque conferret. Itaque Noster ingravescente aetate, publicis iam muneribus impar, missionem honestam ab illius clementia impetravit. Praeterea pensio quaedam haud exigua concessa est illi, qua honeste reliquam vitam ageret. Neque in vanum tot eum bonis donarunt; ipse enim communi particeps gaudio propter rerum instaurationem, nonnulla carmina exaravit, poëticis luminibus haud ieiuna.

Hactenus vero Montius Pindaricos volatus et mollis Anacreontis aut teretes Metastasii versus tantum aemulatus est. Nunc gradum facturus ad ea, quae soluta

oratione ab ipso fuerunt exarata: optimum arbitror me facturum, si in memoriam revocavero, quae initio statim de vitiis sum praefatus, quibus saeculo superiore italicus sermo turpiter est foedatus. Eo nimirum adducta res erat, ut nulla amplius scriptoribus nostris superesset, quam tuto sequerentur, auctoritas. Quippe impotens ea, quam sibi Florentini linguae italicae conservandae excolendaeque sodales usurparent, ad servitutem timidos damnabat, audaciores vero ad licentiam impellebat. Quare nemo profecto extitit tunc temporis ex Italorum scriptoribus, qui hac de re partes nostras sustineret, praeter Cesarium, qui acerrimo ingenio donatus, idemque laboris patientissimus, memorabili exemplo scriptoribus praeiverat. Quamquam ipse italici sermonis puritatem ex priorum auctorum monumentis studiosius hauriendo, eiusque ambitiosa in verbis sedulitate, quamplurimis in calumniam incidit. Praesertim vero Noster, sui nominis fama abusus, acerrimum illi bellum indixit, ea in vulgus edendo, quibus hominis vitia non acerrime insectaretur, sed ridentis vultu et socratica quadam ironia vellicaret. Huiusmodi vero litterariae disceptationes acrius exardescere in diem coeperunt, quum ex publicarum rerum procuratorum praescripto Mediolani demandatum fuerit ei munus, illud lexicon, cui a furfure nomen est factum, castigandi, novisque nominibus novis rebus imponendis augendi. Tunc videlicet Montius soceri et Iosephi Grassii taurinensis opera adiutus, giganteum illud opus conscribendum est adgressus, quod inscribitur: *Proposta di correzioni al Vocabolario della Crusca.*

At quum pleramque huius operis partem retractassent,

Noster paene lumina oculorum amisit; quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit. Neque id satis. Etenim Perticarius viribus destitutus postmodum vita functus est, quum rusticandi causa Franciscum Cassium (26) ad Pisaurum convenisset. Haud obscurum est animo reputare incredibilem moerorem, quem tam acerba mors ei esset allatura. Nihilo tamen segnius, ubi primum convaluit, interceptum opus, quod dubio procul numerosas manus posceret, solus perfecit. Quinimmo brevi temporis spatio Aligherii librum, cui titulus *Convito*, ad veram lectionem restituit atque animadversionibus illustravit. Quamobrem intermortuam Aligherii famam iterum excitavit.

At quoniam in hisce operibus, quas nuper memoravi, hanc sententiam tueri coepit, nimirum falso hanc sibi laudem Hetruscos, praesertim vero Florentinos, usurpare, pulcherrimum nostrum sermonem primos confecisse ac prae caeteris expolitum, purum servasse, quoscumque doctissimos viros tunc Florentiae et foris in Thuscaniensi regione florerent, sibi adversantes excitavit. Qui utriusque commenta firmissimis argumentis refutarunt. Enituit in certamine Urbanus Lampredius, vir doctus in primis, qui gravissimis quibusdam epistolis perversas nostrorum opiniones audacius iactatas perculit. Nec minorem in hac re laudem est consecutus Rosinius politiorum litterarum doctor, idemque politissimus scriptor. Horum vestigiis institerunt Ioannes Niccolinius et Valperga Calusius in epistola ad Napionem de italica lingua, aliique permulti, quos longum esset hic ex ordine memorare.

290

Caeterum hoc satis constat ex historia litteraria expolitissimum quemque italorum scriptorem magnopere in evolvendis elegantioribus Hetruscorum auctoribus fuisse versatum. Quid quod? elegantissimi illi viri, qui germanam haud ita pridem loquendi scribendique rationem illustrasse dicuntur, non alio ex fonte, quam ex thuscana lingua illam eloquentiam hausere; plane ut Victorius Alferius, quum rudis adhuc italicae in scribendo venustatis esset, integros Hetruscorum fontes adiverit, quo pleniore haustu se proluens, optandam in primis verborum et ditionum copiam depromeret. Nitidus et candidus italici sermonis scriptor Hannibal Carus habetur, quem prae caeteris studiose Boucheronum lectitasse memoriae proditum est, qui tamen ingenue fatetur se per otium, quo Florentiae in urbe versaretur, dictionum flores excerpsisse, quibus sua scripta inspersit. Huic opinioni insuper apertissime suffragatur vir doctrinae pariter ac pietate spectandus Antonius Brescianius, qui diu multumque in Etruria versatus, itali sermonis vim et proprium decus puris e fontibus hausit. Mirum quanta stili venustate et lepore, urbes, rura, aedes, carceres, convivia, pugnas, mores hominum descripserit. Quare vere mihi hoc videor esse dicturus, neminem unquam fuisse italice scribentem, qui ad Brescianii fastigium perveniret. Sed ut eo revertar, unde huc declinavit narratio, praesentissimum nostro sermoni remedium attulerunt haec Montii scripta; necnon praestantissima Antonii Cesarii volumina; quo viam monstrante, Brescianius mentem ad scribendum appulit.

Castior ex illo tempore fluxit Italorum oratio: multi

enituerunt in expolita nostra lingua diserti. Atque ut caeteros omittam, quorum memoriam passim in hac narratione iniecimus, floruerunt illa tempestate Michaël Columbus, Giordanius, Taverna, Biondius, et Carolus Botta, qui memoria nostra historiae principatum subalpinis asseruit. Neque deinceps tot illa scriptorum portenta extiterunt, qui venustae et concinnae orationis securi, quidquid in mentem veniret, litteris traderent. Quae quidem insperata, sed felix litterarum immutatio accepta est referenda immortalibus hisce viris, quorum hactenus praeclare gesta laudavimus.

Quibus Montius editis operibus, postquam munere est functus, quo detinebatur, quippe qui Italiae gloriam in litteris tueri sibi proposuerat, animum denuo Musis excolendis adiunxit. Revera idyllium quoddam per illud tempus conscripsit, cui nomen indidit *Nozze di Cadmo.* Hoc vero carmen multum mythologiae sapit; poetae enim in animo erat evincere admirabilitatem quocumque demum ex fonte petitam quammaxime ad poësin conferre. Et sane Plato poëtas sanctos habet, Dei nuntios, Dei interpretes: eos Dei afflatu autumat excitari, Dei appulsu ad canendum agi, eorumque in animis a Deo iniectam et inclusam praesagitionem futuri. Nulla est igitur ars, quae ad Deum propior accedat, quam poësis: haec Deum fert auctorem, primosque vates numero mortalium eximit, caelitumque ordinibus inscribit. Caeterum argumento sit Lucretii poema *De rerum natura*, quod vix ac ne vix quidem poëseos praesefert formas, siquidem Epicureus poëta quum negaret permanere animos, hominibusque a Diis immortalibus consuli et provideri,

numquam ad ea assurgit, quae sub sensus non cadunt, quaeque tantum animos delectant et movent.

Postremum Montii carmen, quod fuerit editum, Feroniades (27) inscribitur a Feronia, quo nomine tota illa regio, quae Pomptinis Paludibus contineretur, a Lacedaemoniis olim fuerat nuncupata. Hoc Noster poëma, quod recte cycneus cantus posset appellari, iam Romae exarandum susceperat, quum videlicet domi apud Braschium ducem honesto otio delectaretur. Argumentum illi suppeditarunt ingentia Pii VI molimina: Pomptinus ager diu post Traiani tempora, exhaustis iterum paludibus, et purgata aëris gravitate, cultoribus redditus; nova aedificia magno sumptu excitata, vetera restituta; quibus omnibus Romae decus sic augebatur, ut nemo paullo esset excultior, quin eam sibi invisendam esse putaret.

Si autem quaeramus quibusnam praecipua haec poëmatis actio episodiis exornetur, sese nobis prae caeteris offerunt Iunonis exagitatio, quae Ieroniam Deam turpiter perculit; alterum Iovis adulterium; et in tertio cantu poëtica omnino ratione maxima omnia, quae Pontifex Maximus perfecerat, ominantur. Luculentae autem passim descriptiones occurrunt, quae tamquam ἐπισόδια habendae sunt, ex mythologia deprompta, quibus fabulas non narravit, sed insculpsit.

Dolendum sane, quod postrema haec Montii opella non fuerit ad umbilicum adducta. Quum enim Noster elegantissimum opus ad finem perducere maturaret, morbo, quem apoplexin vocant, correptus est. Quo facto, totum eius corpus, et mens obstupuit, vix ut ulla spes medicis superesset, fore ut aliquando tandem

convalesceret. Qui casus, statim ac fama et auditione Italiae universae innotuit, incredibile memoratu est, quanto fuerit moerore exceptus. Quidquid virorum bonorum Mediolani erat, ad illius aedes confluxit, eius vicem dolens, et operam pollicens. Tali modo cum duos et septuaginta annos complesset, tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut vix semel medicina indiguisset; nactus est morbum, in quo duos circiter annos consumpsit. Tunc enim diuturnis morbis tentari coepit, hos modo ingravescere, nunc remittere, stomacho oblanguere ac defici, in febres incidere. Haec inter non animo frangi, non deiici, sed fronte innubi vocisque constantia alios solari, aliis moerorem abstergere. Neque in hisce rerum adiunctis penitus poëtici ei spiritus defuere; quippe natali uxoris die ex improvviso breve carmen recitavit, quod litteris est mandatum, quodque legenti cuiqui moerorem inducit. Nostrum morbo iacentem Boucheronus invisit; iniecto de literis sermone, cum lacrymis orabat, ne subalpini homines, qui serius in contentionem studiorum cum ceteris Italiae populis venirent, quaesita iam sibi decora obscurari incuria scriptorum paterentur. Tanto litterarum studio flagrabat!

Sed postmodum de eo male narrari coeptum est; siquidem morbo consumptus; creber recurrere halitus, vitales spiritus deficere, quae omnia non dolorem magis indicabant, quam pugnam adversum dolorem. Biennio diuturni vim morbi invicto animo perpessus, sacrisque rei christianae mysteriis bis refectus, animam pientissimam inter suorum manus efflavit tertio idus octobres

anno millesimo octingentesimo octavo et vicesimo, quum ipse annum ageret quartum et septuagesimum.

Elatus est funere honestissimo, comitantibus omnibus bonis, maxima amicorum eiusque admiratorum frequentia; conditus est in sepulcreto urbis ad portam Orientalem, ubi Felix Bellottius, elegantissimus Sophoclis interpres, comptissima oratione, omnibus ingemiscentibus, aeternam beatitatem Nostro adprecatus est.

Fuit Montius, ut memoriae proditum est, ore ingenuo ac liberali, fronte lata et exporrecta, nigris intentibusque oculis, quos ardentis animi indices dixisses, superciliis et densis et in arcum flexis, genis roseis, cetera lacteus, naso perquam decentissimo, molli et sub extremam aetatem albescente capillo, statura excelsa: ingenii excellentia, et humanitatis color ex oculis, fronte, corporisque totius habitu eminebant.

Tali igitur tunc Italia viro fuit orbata, qui doctorum omnium consensu, merito inter septem principes Italorum poëtas recensetur; quo nemo abhinc multos annos fuerat magnificentia, lepore et suavitate conditior. Quamquam ipse satis contra adversarios rei litterariae instructus, saepe contra fortunam et ambitiones inermis fuit. Grati animi ergo sommopere laudandus; immo benefacta plerumque nimia adsentatione compensavit. Sublime et erectum ingenium pulcritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius, quam caute adpetebat. Hoc a parentibus accepit, effusam in pauperes beneficentiam. Ita commentariolus explicit de vita et scriptis Vincentii Montii, cuius nomen, nulla seculorum oblivione, in litteris celebrabitur.

ADNOTATIONES

ADNOTATIONES

(1) Clarissimus hic vir, senensis, surdorum ac mutorum magister, horis subsecivis, quibus est otium a disciplina unice ipsi probata, opera identidem scriptitat, quae a cordatioribus undique hominibus lecta summis laudibus efferuntur. Vide, sis, quae maxime in vulgus edidit:

Le istituzioni dei sordomuti in Italia. Siena, 1867.

I poveri sordomuti toscani alle provincie toscane. Siena, 1862.

Elogi di Ottavio Assarotti delle scuole Pie.

— *Massimiliano Ricca delle scuole Pie.*

— *Severino Fabriani.*

— *Prof. Giuseppe Pianigiani.*

— *Costanza Corboli.*

— *Cav. Marco Landucci.*

— *Giannina Salomoni.*

— *March. Ferdinando Landi.*

— *Antonio Federico Ozanam.*

Orazione della nella Pia Casa di lavoro in Firenze.

Sulla necessità di educare il sordomuto.

Sul dovere di educare tutti i sordomuti.

Un voto del cuore a sollievo dei sordomuti.

Questioni sui sordomuti.

Un voto della patria.

Orazione intorno alla scelta degli studi.

Del principio supremo della educazione.

Del modo di rendere proficua la educazione ricevuta in collegio.

Del concetto supremo dell'arte.

Della seconda educazione che l'uomo deve a sè stesso.

Studio e morale.

Illustrazione di due dipinti e di una statua.

Alla memoria di Marianna Compagni.

798

Il Vangelo delle domeniche e delle principali feste dell'anno, spiegato ai sordomuti italiani.

Maria Immacolata e i suoi divoti. — Meditazioni e preghiere. Siena, 1861.

Il buon angelo dei sordomuti. Siena, 1866.

Il matrimonio cristiano. Siena, 1868.

Corso d'istruzione pei sordomuti italiani.

Nonnullae adhuc extant orationes, quas Pendola habuit in auditorio maximo Regii Senensium Athenaei; nec non aliquae scriptiunculae pro re nata exaratae et in publicis ephemeridis editae: quas enumerando ego procul dubio infinitus essem, quum Noster, qui septuaginta iam annos est natus, totus omnino in litteris fuerit.

(2) *Elegia* 1ª. Pronta il ciel mi donò mente serena,
E d'ingegno me fece e d'intelletto
Non infeconda scaturir la vena.

(3) Ovidius, qui equestri eademque opulenta familia ortus Sulmone in Pelignis anno urbis conditae DCCXI, quum suapte natura, vel a pueritia, poëseos studio mire flagraret, attamen, cogente patre, iurisprudentiae operam dedit. (V. *Trist.* Lib. IV, eleg. 10).

(4) *La visione di Ezechiello per celebre predicatore.*

(5) *Il vaticinio di Giacobbe.*

(6) *Lettera didattica. — Dell'eloquenza e di Omero.*

(7) Hoc Montii drama frustra inter opera omnia requiras.

(8) Vide, sis, opera Emnii Quirini Viscontii.

(9) *Iustini historiarum philippicarum.* Lib. II, cap. 6. « Litterae certe ac facundia, et civilis ordo disciplinae, veluti templum Athenas habent. »

(10) *La bellezza dell'Universo.*

(11) En carmina, quibus poëta prae oculis ponit Fidem, quae romanum Pontificem Roma proficiscentem adloquitur.

Là dove nell'orror sacro dell' urna
Dorme di Pietro in sotterranea sede
L'apostolica polve taciturna,
Sul marmo trionfal sedea la Fede:
Più che la neve immacolato e schietto
Copriala un velo dalla fronte al piede;
Ma la bellezza del celeste aspetto
Traspar più vaga da quel velo, e spira
Riverenza ed amor, tema e diletto.
Essa lo sguardo che penètra e gira
Fin sopra i cieli, e l'infernal trapassa
Ampia vorago di tormento e d'ira,
Profondamente sospirando abbassa,
E colla man la guancia si sostiene
Da pensier grave affaticata e lassa;
Ma di reina nel suo duol ritiene
La maestà pur anco, ed infiammarse
Il cuor si sente d'ardimento e spene.
Surse tosto, e sembrò nel suo levarse
La bianca nube, che dal ciel caduta
Sul Tabernacol folgorando apparse.
Corre all'eroe d'incontro, e lo saluta;
E poichè in atto di gentil clemenza
Stettesi alquanto, e riguardollo muta:
O uom, disse, cui l'alta intelligenza
Per me tragge a pugnar, per me, che sono
Diva in ciel nata, e d'immortal potenza,
Guardami, uom forte, io son che ti ragiono,
Io, la figlia di Dio; guardami, e cura
D'un'afflitta ti prenda e del suo trono.
Piena è l'impresa di perigli, e dura,
Ma fia bello il patir, begli i cimenti,
Se il mio spirto ti guida e t'assicura.
Le inspirate da me parole ardenti
Sono una spada che ferisce e sana,
E d'ambe parti penetrar la senti.

400

La ragion, che l'error doma ed appiana,
E l'alma inonda de'bei raggi suoi,
È mia scorta e compagna, è mia germana.
Ella sul labbro degl'invitti Eroi,
Su la cui tomba io seggo, e per cui stetti,
E del cui sangue mi nutria dappoi,
Contro l'orgoglio degli umani affetti
Parlò sicura, e per le vie del Vero
I cuor più schivi attrasse e gl'intelletti.
Or la mente dell'uom per lo sentiero
Di fallace Sofia, fattasi ancella
Di ree dottrine che vagar la fêro,
Somiglia un mar cui torbido flagella
Assiduo soffio di contrario vento,
Che mesce il ciel coll'onda e la procella.
Ma su l'irato instabile elemento,
E camminar su le tempeste io soglio,
Come sopra ben saldo pavimento.
Al mio grido pietoso, al mio cordoglio
I mortali indurâr l'alme sedotte,
E si formâr nel petto un cuor di scoglio.
Ma uscir dal fianco delle balze rotte
I fonti io faccio limpidi e sinceri,
E traggo il giorno dalla fosca notte.
Per me confonde il Nabucchi alteri
Daniel fanciullo, e placan le tremanti
Donzelle gl'inflessibili Assueri;
Tu vanne, ardisci e parla. De'Regnanti
Sta il cor nel pugno di quel Dio che frena
L'ale del lampo e i turbini sonanti.

(12) *La Basvilliana.*

(13) *Prometeo.* — Cuius poëmatis argumentum ad historicam rationem exactum habes in quadam ipsiusmet Montii oratione, quam inscripsit: *Dell'eloquenza e di Omero.*

La razza umana periva, se non trovava in Prometeo un protettore. Fattosi egli avvocato dell'uomo al tribunale di Giove, gliene espose

nel modo più conveniente il miserabile stato. E fu allora che il Re degli Dei, tocco di compassione, spedì sulla terra la Persuasione, accompagnata da Mercurio, con ordine a questo Dio di farne partecipe l'uman genere secondo le disposizioni naturali di ciascheduno. Comparve appena fra gli uomini questa eloquente e divina benefattrice, che tutti apersero gli occhi sulla deplorabile loro condizione; ebbero tregua le loro guerre, si accostarono gli uni agli altri senza temersi, sentirono la voce dell'amicizia, conobbero i vantaggi dell'unirsi in una sola famiglia, e diedero principio alla società. Non pervennero tutto ad un tratto a costituirsi le abitazioni; ma le loro idee sviluppandosi a misura che la Persuasione, cioè l'Eloquenza ragionava dentro il loro cuore, stabilirono leggi, nominarono magistrati, e a poco a poco fabbricarono le città. Penetrati poscia di gratitudine verso gli Dei, alzarono al cielo cantici di ringraziamento e la poesia fu la primizia dell'umana riconoscenza.

(14) Franciscus Iannius natus an. MDCCLX, Romanus, qui facile ad poësim ingenium nactus, quemadmodum Caius Lucilius, *stans pede in uno*, ex tempore versus dictabat, qui tamen ex doctrinae defectu et quadam negligentia, impoliti persaepe extabant.

(15) Ioannes Paradisius comes a Regio Aemiliae, in re mathematica eximius. — Costabili Containius comes Ferrariensis.

(16) *La Musogonia*, vulgo *musarum origo*. Poëta namque in ipso carminis exordio ait:

O Muse, o sante Dee, la vostra arcana
Origine vo' dir con pio linguaggio.

(17) *Pericolo*: quae autem Noster in hoc carmine foede de sanctissimo Romano Pontifice Pio VI asseruit, eadem leguntur in alio, quod paullo post exaravit, carmine, cui titulus est: *Fanatismo*. Ipsemet postea reprobavit hos versus, necnon aliquot cantus, quos eodem fere tempore edidit: idest *la superstizione, e l'inno per l'anniversario della morte di Luigi XVI.*

(18) Iannius, qui Montium acerrime adversatus est, et duobus carminibus *Proteo* nempe et *Camaleonte* eum carpsit.

Vincentius Cuocus versatile quoque Montii ingenium redarguit, eumque cum Nicorio composuit. Nicorio, aiebat ille, nascondeva sotto le apparenze della libertà la più servile adulazione...... Cantò prima il partito degli ottimati; questi rimasero perdenti, ed egli prese a cantare il partito dei popolari.... servì all'odio, ma non alla ragion dei partiti; cantò sempre diverso da sè stesso, perchè l'odio cangia e la sola ragione è eterna. V. *Platone in Italia*, tom. II dell'edizione milanese, pag. 44, 45.

(19) Borda Bartholomaeus, insignis mathematicus gallus, quem vehementer Mascheronius diligebat, qui ad eius mortem elegiam latine scripsit, augusteam aetatem omnino redolentem.

(20) Cuocus, quem nuper memoravi, Neapoli ortus anno circiter MDCCLX.

(21) Hae duae orationes vulgo feruntur: — *Dell'obbligo di onorare i primi scopritori del vero in fatto di scienze.* — *Della necessità dell'eloquenza.* Animadverte, lector; merito auctoritate sua utrasque orationes redarguit Ecclesia.

(22) *Il bardo della Selva Nera.*

(23) *La Palingenesi politica,* quod carmen veluti appendix habetur prioris, nempe: *Il bardo della Selva Nera.*

(24) *Lettere filologiche sul cavallo alato di Arsinoe.*

(25) Huius rei vitium passim in cesarottiana interpretatione occurrit, sed sufficiant in medium ferri haec paucula. In libro primo mirum quam graphice poëta graecus descripsit celebrem illam Achillis cum Agamemnone contentionem, ob Briseidem suam raptam. En ipsa Homeri verba: V. 188, lib. I.

Ὣς φάτο· Πηλείωνι δ'ἄχος γένετ', ἐν δέ οἱ ἦτορ
στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν,
ἢ ὅγε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,
τοὺς μὲν ἀναστήσειεν, ὁ δ' Ἀτρείδην ἐναρίζοι,
ἠὲ χόλον παύσειεν, ἐρητύσειέ τε θυμόν·
ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος.